



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1856**

XV. Markgraf Otto II. bestätigt dem Kloster Lehnin die Schenkungen seines Vaters und fügt diesen die seinigen hinzu, im Jahre 1205.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

XV. Markgraf Otto II. bestätigt dem Kloster Lehnin die Schenkungen seines Vaters und fügt diesen die seinigen hinzu, im Jahre 1205.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Secundus Otto, dei gracia Brandenburgensis marchio. Memini enim et meminisse iuuat, elemosinarum largicionem potiore animabus redimendis effectum conferre. Ea propter a patre meo rationabiliter collata beate dei genitrici marie in lenyn et monachis Cystericiensis ordinis, ibidem deo famulantibus, Addendo ea, que in consequentibus plenius exponentur, sigilli mei impressione confirmo. Contulerat etenim primus Otto, pater meus, consensu heredum suorum, Christo militaturis ipsum fundum, in quo situm est ipsum cenobium lenyn; et omnem proventum aquarum ab ortu earundem usque ad molendinum naumiz. Protenduntur ergo termini ejusdem claustrum, versus aquilonem usque ad viam, que ducit de Noumitz ad colpyn, idem et ipsum colpyn minus videlicet stagnum, usibus fratrum integraliter deseruit. Contulerat insuper Goriz cum omnibus attinentiis, stagno non excepto; Radele cum stagno adjacente et vniuersis aliis attinentibus; villam cistetal et villam zwine cum attinentiis suis; Villam, que dicitur wendischer tornowe cum omnibus attinentiis videlicet agris et silua, que vulgo havelbruch dicitur, usque ad riuum plane, que ipsam siluam interfuit; duas quoque partes ville Gotiz cum omnibus appendiciis; Pratum adjacens ville Detzist, et pratum adjacens ville wyda et quinque wincepel salis in theloneo brandenburgensi. Mea vero et coheredum meorum liberalitate collata sunt haec: Michilstorpp et Tegdastorpp cum vniuersis terminis; Decist cum adjacentiis suis, scilicet agris et aqua obule, in quantum terminos ejusdem ville tetigerit, Priscere cum omnibus, que attinent, et tribus tractibus sagene in Stagno Zwirowe; Welsnewode cum terminis suis; Noumiz cum pertinentiis suis et quinque tractibus sagene in stagno ex inferiori parte ville adjacente, sed et molendinum in eadem villa cum omni utilitatis proventu; Wachowe cum terminis suis et dimidietate stagni, quod ville golitz et wachow interiacet. Statuimus siquidem bona jam denominata, in nullo nostro vel nostrorum successorum juri subiacere, neque aduocacie, communi placito, expeditioni, urbano operi seu exactioni vel qualicumque seruicio; Sed prefati cenobii fratres ea libere possideant. Vt autem hec nostra confirmacio stabilis permaneat hiis testibus eam roborauimus, quorum nomina sunt Ludolfus magdeburgensis archiepiscopus, Norbertus brandenburgensis episcopus, Theodericus abbas de Sichein, Baldeuinus prepositus de brandenburg, Salon prepositus de Jericho et ceteris. Actum anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. V<sup>o</sup>. indictione VIII.

Aus einer Copie des 14. Jahrhunderts. E. v. Ledebur, Archiv VII, 168. Das alte Lehniner Urkunden-Verzeichniß gedenkt dieser Beschreibung mit folgenden Worten:

Confirmatio Ottonis II. de donatione predecessoris sui super fundo ecclesie et Wachoue et aliis bonis, ut superius. Presens priuilegium Ottonis II. datum Anno 1205.

Havelbruk, pratum, adjacens ville Detz, et pratum circa villam Wida et V choros salis in theloneo Brandenburg et Tegdastorpp, Priscer, Wachow cum suis terminis et dimidietatem stagni, quod ville Goliz et Wachow interiacet, Otto secundus dedit A. 1205.

Altes Verz. Lehniner Urkunden. Gerken VII, 330. 333.